Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1778) Lévy 1478

# QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 17. Februarii.

M. JOANNE-BAPTISTA RENATO MOREAU, Doctore Medico, & Profeſſore Regio, Præſide.

*An quadrageſimali tempore piſcium eſus, carnium uſui ſit anteponendus?*

MISERATIONE dicam an reprehenſione digniores eos, qui inauſpicatis temperamenti ſui fluctibus abripi ſe ſinentes, quod atramento aut aduſtâ bile conflatum eſt, ipſi ſibi ſint odio, Humanumque genus univerſum, pejus oderint; qui dicteriis prorſus infi- cetis Hominis originem lacerent, miſerum in ortu ſuo, miſerum in toto vitæ decurſu depingant, & probris amarioribus onuſtum, detrudant ad tumulum. Nec ſatis habent ejus conformationem contumelioſè laceſſere, exteriorem formæ ſpeciem ſannis indignis deludere, organorum Machinas convellere, niſi in ſupremam ejus rationis arcem omnem linguæ virulentiam effuderint, dum cæcos brutorum impetus illi anteferunt, ad cujus dignitatem vix obſcurâ ſimilitudine aliquâ poſſint accedere: Caninoſque dentes in ipſius Eminentioris Animæ naturam exacuunt, in apertam lucem novas falſaſque opiniones, & definitiones proferunt, quæ veneris Marito debeantur, qui ſubobſcurè velint affigere Luto, divinæ particulam auræ, quæ procul ab eorum telis aut morſibus poſita, eos puriori luce perſtringat, veritate ſupremâ Convincat, viribus atterat, & immortali potentiâ terreat, ac ad nihilum deprimat. Verùm contra puſillum hunc & rejectaneum calumniatorum gregem, quinam non inſurgunt ſanæ mentis Homines, qui non ignari nobiliſſimæ conditionis ac naturæ ſuæ, divinarum conditoris ſui laudum buccinatores ſint, prolixâ partium enumeratione, ex quibus humanum corpus concinnatum eſt: Omnia uno verbo dixero, cùm ad Dei ſimilitudinem id effictum & effectum eſſe prædicavero; quid eſt igitur in hoc orbe perfectius? Atque idcircò ab omnibus qui compaginis iſtius modi, pulchritudinem attentius comtemplati ſunt, (Quales præcipuè Medici perpetuo fuerunt, qui nova ſubinde miracula in eâ detexerint) confeſſionem hanc ipſa veritas expreſſit, humanum corpus mundi compendium eſſe. Obſervatio autem illa effecit ut pro quatuor anni tempeſtatibus humores dividerentur, temperamenta eâdem trutinæ lance ponderarentur, & cum notatum ſit per tempeſtatum mutationem, in hâc orbis univerſitate quidquid eſt boni malive, con- tingere; Ita quatuor humores, qui temporibus illis proportione reſpondeant, prorſus idem in humano corpore perficere: inde fit, utquemadmodum providentiâ ſuâ Sapiens dominatur aſtris, ſic peritior Medicus ad ſervandam ſanitatem integram, aut ad propulſandos morbos, ſimili debet eſſe prudentiâ & cautione, pro tempeſtatum humorumque ſibi ex æquo invicem reſpondentium varietate, ac præſertim ope victus legis idoneæ.

NEMO non ſenſu percipit? quæ æternâ ſibi viciſſitudine ſuccedunt temporum qualitates? quid non modis omnibus umbram ſalutarem expetit, ut nimios ætatis æſtus retundat frangatque, qui flores, quæ plantæ non iis adurantur, niſi ſalubres adſint fontium ſcate- bræ, puteorum ſubterraneorum imbriumve ex nubibus defluentium liquores? quænam arbores naſcentes fructus ſuos areſcere non ſentiant, ſine jucundi roris, aut nebulæ ex vaporibus condenſatæ, vel amœnæ foliorum opacitatis amabili ſubſidio, quæ ſolis radios, impetu ardoreque ſuo cuncta pervadentis vaſtantiſque reprimant? qui fontes non aruerint? quis adeo robuſtâ Vir integritate virium, febris urentis peſtilentiſque periculum effugiat? quæ victus ratio tunc ſervanda diligenter, eſt ferè ſatis, Quâ cohibeantur conſtringanturque ignei ſanguinis globuli, qui univerſo aëris incendio conflagrantes, & vehementioribus aëris uſti turbinibus conſociari cupientes, corpus exhauſtum, ſpiritibus vacuum, frigidum, exangue, & vitâ caſſum quotidie, relinquunt: Contra vero quam læta pomiferi temporis autumnitas! aſt ut bona nulla ſine quadam acerbitatis mixturâ ſunt unquam, & ſurgit amari aliquid medio de fonte leporum; tunc flores marceſcunt, fructus denegato pediculorum nutritio glutine delabuntur; frondes in ſui caſus anteceſſum palleſcunt; pauca quædam difficili operâ ſervantur. Eodem illo tempore humana corpora atteruntur, niſi ſummâ curentur induſtriâ, & ratione, viâque certâ nutriantur. Tunc humores non æque lympidi, plus habere fæcis deprehenduntur; inde ex illorum ſpiſſâ congeriè, apoſtemata, quartanæ febres, articulorum dolor, & infinita alia miſeræ mortalitatis proludia, exquiſito tunc opus eſt eorum delectu, quæ temporis illius diætæ congrua fuerint, & quibus hos humorum cumulos, radicitus averruncent. Abſque eo damnoſa quid non efficiet hyems, per quam formidoloſam Naturæ omnia omnibus proſpicientis obſervemus ſollicitudinem? Non ſine admiratione videmus ac ſtupore, beneficio frigoris effici, ut arborum plantarumque ſuccus in imas earum medullas retrudatur, & veluti recondatur, ut commodiùs aliquando dif- fundatur, tectas nix alit ſegetes ad ubertatis lætitiam; eſtque vitæ balſamum, quo tellus adverſus penetrabiles frigoris ſtimulos, furentemque ventorum inclementiam defendatur. Ita dum totus nebuloſus eſt Jupiter, vitæ ratione congruenti depellitur ejus improbitas, ac tamdem optatiſſimo vere corpora perfruuntur. In quo non ſolum natura ridet omnis, ac revireſcit, ſed ſuccorum, qui ſæviente plurimum hyeme latebant, & conſtricti gelu tenebantur, infinitâ copiâ, ac renovatâ profuſione æternitatem parare ſibi velle videtur: hinc gem- mæ turgent ex nodis arborum; hinc juveneſcens frondium viriditas; hinc picturis diſcriminata prata, planities & hortorum areolæ immenſas opes oſtentant, & ſuavibus aërem odoribus ſuffiunt, quem zephiri leves blandè commovent. Eheu! quanta naturæ pernicies im- mineret, ſi calidior candentis aëris æſtus, aut fermentum quodpiam in terrâ vehementius, accelereret aut interverteret Naturæ providentis opus, quæ ſuas habet moras, lentiores illas, definitoſque certis limitibus terminos. Nonne, quiſquis oculatus eſt videt, teneris recentibuſque herbarum capitibus, ac rore puro animantia veſci: non ſunt properandæ humorum fuſiones, qui ſolvuntur paulatim, & ex intimo centro ad circumferentiam placidè ſenſimque profluunt. Vos igitur vos, ô veſtra juvet ratio! tot vos exempla doceant, ô Ho- mines! quorum ſtructura delicatior ac ſpectabilior rebus cæteris, nonne ſanguinem in venis lætius emicantem animadvertitis? ſpiritus intus reconditos ſemet explicare vegetius, veſtros motus acriores eſſe, imaginandi vim expeditiorem, vos denique omnino eſſe commutatos. At cautio ſit, ne veſtrorum humorum abutamini beneficio; naturale fermentum hoc, ne tentetis efferare, quod commune vobis eſt cum animantibus quæ in terris degunt, aut vivunt in aëre. Nullo negotio febrium cohortes deſtillationes, laterum acutiſſimos dolores, ardoreſque, qui hac potiſſimum tempeſtate lancinant Homines, declinaveritis: quæ quidem noxiæ & infeſtæ labes ubertim proveniunt ex cibis calidioribus, acrioribus, volatilibus copioſioribus, & ſulphureis partibus refertis, ex quibus motus exurgunt concitatiores; ac, ut ſic dicam, addendo calcar ritè currenti Naturæ, graviter errare eſt, quæ adjuvanda eſt, non cogenda; moderanda, non perturbanda.

PLENI ſunt libri ſigillatim, generatimque, diviſionibus alimentorum, eorumve naturis. Diverſæ Medicantium ſectæ, nominibus eas variis, ſed idem perpetuò ſignificantibus expreſſerunt; adeo ut ſpes nulla debeat eſſe, ut libere unquam oſtendat ſe nudam Veritas; ſuo veſtit eam quiſque palliolo. Illa tamen, licet ab hoc reducta domicilio mortalium inter ſe diſſidentium variegatas ob ſyllabas ſonoſve, ambiguos, ac futiles, una ſemper & eadem eſt, & erit, ſeque diſſipatis eripiet nubibus, quibus non deſunt, qui eam ubique certant involvere. Omiſsâ idcirco hacce enumeratione, centies in Scriptorum monumentis exaratâ, perquiramus attentè rectas quibus ſemitas corpora vernis ægritudinibus liberemus, quando felix fauſtumque nobis, occurrit quadrageſimali jejunio tempus conſecratum, quod Eccleſiæ prudentia, Chriſtianorum obſequium, veneratio, & memoria inſtitutionis ejus, adeò ſalubriter ac divinitus, non ad ſalutem animarum tantum, verum etiam ad diætam, corporum ſanitati neceſſariam deſtinaverunt. Gratiam quidem ſuperum, quam impii ſoli & male feriatæ mentis homines habent, non pro neceſſariâ carnium abſtinentiâ, ſed pro labore, rerumque tacendarum ſupplicio refugiunt. Ut vero ad curam melioris præſtantioriſque ſui partis minus attenti ſunt, mirum certe non eſt, ſi negligentiores eorum ſunt, quæ ad corporum ſalutem magis conferre valent. Procul tamen ab omnibus ſit illa cogitatio, ſacrum tempus illud, ſolis prodeſſe corporibus: verum ut nihil in hoc orbe ſit niſi circino ductum, cujus pedem inſpector univerſorum Deus, tempore ac loco ſuo fixit, certo pondere & menſurâ, liceat hoc veris tempore, in quod incurrunt eſuriales feriæ, recognoſcere, quæ ex piſcium eſu percipi poſſit utilitas, quæque incommoda & damna ex carnium uſu enaſcantur hâc anni ætate, quâ ſanguis fervere occipit, quâ natum quodque fermentatione turget, quâ cibi rejiciendi ſunt, quicunque ſtomacho negotium faceſſunt, quique, ἀποπατήματα progenerent, quorum corruptio periculi plurimum invehat; qui tandem nimiâ feſtinatione turbent & dividant, quæ natura tota ſibi, coquit & præparat. Sed, qui cibi ſeligendi leves ſint, coctu faciles, particulis ſulphureis, igneis, & ad fermentandum aptis careant, quarum contagia periculoſa ſint & nocentia.

NIHIL non ad hominum vitam conſervandam confert aliquid, quaſi vectigal, è terræ viſceribus eruuntur metalla metallicaque omnia, quorum, quæ ſint utilitates, obſcurum eſt nemini; ejuſdem terræ ſuperficies non illos modo ſuſtinet, ſed locis omnibus ſuppeditat ſingula vegetantium genera, quorum mater eſt nutrix item, animalia quotquot alit ad vitam eorum fovendam deſtinavit, quænam undique non devolant volucres, ad eorum commoda: ſed advertere nonne juvat, Lacunas omnes, rivos, ſtagna, lacus, alveos, fluvios, flumina & maria, concurrere, ac veluti conſentire, ut æquali copiâ hominum generi, ad ſui tutelam prodeſſe poſſint. Ob quam rem, quis non iis acerbe ſuccenſeat, qui ſpernant tempore debito ea quæ ſibi tam liberali manu ἄνω καὶ κάτω offeruntur. Et cum vere primo, quo eſuriale tempus utili jungit honeſtum, fugiendi ſint illi ciborum ſucci, periculoſi carnei, & qui ignis & ſulphuris æquo plus in ſe continent: nonne beatiſſimi ſumus, quibus adeſt piſcium multitudo, quos plenitudo, pulpæ firmitas, obæſitas, & ſucculenta moderata bonitas commendant, qui facile percoquuntur, qui naturæ nihil obſint fermentatione nimiâ. Ubique captantur illi, ex medio maris pelagii, ut thynni, &c. Ex rupium vicinitate ſaxatiles, ut oſtrea, &c. Qui juxta ripas & littora, littorales, ut qui cunctis quotidie væneunt in macellis, mirum eſt ut cum iis qui non ægre coquuntur, natura non alio diſtracta, tota ſibi vacet, & conſervationi ſuæ horum alimentorum facili aſſumptione conſulat, unde ſperare jure quilibet poſſit vires & robur, quod tribus aliis anni partibus ſufficiat, & valetudinem firmam & incolumem præſtet; nam ut quippe, vitæ bona, veluti roſæ, medias inter ſpinas colliguntur, nonne dimidium facti, qui bene cæpit habet?

MIRABILI providentiæ conſilio factum eſt, ut cuique rei ſua tempora, ſuæque ſint dicatæ vices, quæ non perturbatio ac inverſio rerum contingeret, ſi ſimul unoque tempore cuncta forent ſalutaria, alio verò, pariter nociva. Et ſic quod ad alimenta ſpectat, quæ profuſio, negligentiæ Mater, unâ tempeſtate, & aliâ? quænam annonæ tenuitas? quæ tumultum pareret & omnia perverteret. Rite beati nomen occupet Homo, qui protemporum converſione, varia alternis, certiſque vicibus, ſibi neceſſaria obtineat, verùm opor- tet, ut iis cæli muneribus ſapienter uti noverit. Ille etenim junctus cum prudentiâ delectus, ſanitem ejus tuebitur. Æſtate temperandi ſunt ſpiritus, qui facilè accenduntur, revocandi qui avolant, herbæ ſelectiores, eſcæ temperatiores, nec non quæ ſucci ſint exquiſiti tunc in promptu ſunt, ac veluti ſuperfluunt, autumno maturâ facultate ſunt fructus omnes, hyeme abſtinendum eſt à carnibus, quæ nigricantis ſint coloris; quæ vero candidi, quarumque coctio non moleſta, placere debent, quibus tunc paſſim abundamus. Semper experti eos, qui quolibet tempore ſe carnibus ingurgitant, laudabilibus quamvis & probatis, (adeo periculoſæ plenum opus eſt aleæ) cruditatibus eſſe, ventris proluviei, ſanguinis profluvio, febribus, vertiginibus, aliiſque Multis capitis affectibus plurimum obnoxios. Quod pu- tredinem indicat ab ejuſmodi cibis, fermentationiſque nimiæ, diram ſobolem notat. Fateamur igitur verno tempore ſeu per quadrageſimam, ſanæ mentis Virum oportere abſtinere ſe à carnibus, cum noſtra corpora fermento naturali agitantur, quod interpellare nefas eſt, illicitum impune adaugere, partibus iis quæ facile putreſcant, ardeant; & quæ indolem nativis humoribus parem non nanciſcantur. Sed anteponendi ſunt piſces, quos natura tunc provida largiter ſubminiſtrat, qui temporis illius humanis humoribus apte conſonant, à quibus abſunt lædentes igneæ qualitates, qui veram non vitiant fermentationem, qui facile ſubiguntur, quique putredinem non accerſant, quæ cuncta carnes quotidie pariunt cum vitæ diſpendio. Id Galeni calculo comprobatur ſuadentis, ex febre revaleſcentibus piſcium eſum, antea quam carnes illis apponantur.



*Ergo quadrageſimali tempore piſcium eſus, carnium uſui eſt anteponendus.*

Proponebat Lutetiæ Pariſiorum CAROLUS BOMPART, Claromontenſis, ex Arverniâ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.